

SECRETARIUM  
*Civitat̄is Regiæ Thorunensis*  
NOBILISSIMVM atq̄ CONSULTISSIMVM  
D O M I N U M

JOH. FRIDE-  
RICVM  
THOMAS,

V I R I  
MAGNIFICI ac GENEROSI  
D O M I N I

GERHARDI  
THOMAS,

PROCONSULIS Urbis hujus Dignissimi ac p. t. VICE-  
PRÆSIDIS Gravissimi,  
FILIVM VNICVM

Morte quidem præmatura,  
interim tamen beata,  
Ao. M. D. CC, XXII. d. 8. Junii circa horam III. pomerid.  
extinctum,

Ipsa solenni Exequiarum Die,  
quæ erat 14. mens. curr.  
Musa dolente ac lugente,

Debitamque DOMVI THOMASIANÆ observantiam  
contestante, prosequabatur

HENRICVS REICHELIVS,  
cliens subjectissimus.

*ΕΓΓΕΜΝΟΝ ΠΕΡΕΒΕΙΧΟΝ.*

OCtaVa IVni proh! SeCretarIVs astra  
THOMAS, en, Ingens Spes Genitorls. aDlt.

THORVNII, Impressit Joh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.





*I*venit ulla dies atro carbone notanda  
 Haftenus, haec praesens rite notanda venit.  
 Dignaue si pariter fletu, si vesteque pulla,  
 Si gemitu iuvenum, si lacrymisque senum,  
 Digna sat ista, truci qua Secretarius Urbis  
 THOMAS est factus praeda petita neci.

*Qua*q; nigras abiit, miserum ceu funus, ad umbras,  
 Ac vitae clausit fata suprema sua.  
 Hinc dolor, ah! ingens Generoso nempe Parenti  
 Nascitur, hinc guttae jam sine fine cadunt.  
 Ex oculis ejus verae Virtutis Idea  
 Dum rapitur, tenuis dum velut umbra fugit.  
 Nil nisi jam post se gemitus lacrymasque relinquens,  
 Hujus quae (dubitas?) anxia corda gravant.  
 Vidimus (inficias non ibo,) funera crebra  
 Haftenus infantum, vixque dolenda satis.  
 Vidimus, & justas alto de corde querelas  
 His dedimus, quoniam justa querela decet.  
 Jam nec majores securos esse videmus  
 A firma dirae vi neque lege necis.  
 Sic est: sic omnes metam properamus ad unam,  
 Lux tandem cunctos ultima nempe vocat.  
 Incerto certam meditatur tempore mortem,  
 Quae nos incertos spe citiusque rapit.  
 Ergo, quis in terris non cernit cuncta caduca,  
 Et quis in humanis gaudia fluxa locet?  
 Dum satis experti tritum sumus haftenus illud,  
 Nil quicquam firmum robore stare suo.  
 Posse mori iuvenes, nec non aetate vigentes;  
 Esse senes vero lege necesse mori.  
 Sed quid in hisce moror? quae sat sunt nota cuique,  
 Et nil solati, nil opis hicce ferunt.  
 Nam quamvis Elegos formarem mille, pedesque  
 Mille dein, multis aut quoque mille modis,

Haut

Haut  
 Le  
 Vnicus  
 N  
 Hinc n  
 In  
 Dum  
 Ca  
 Nec m  
 M  
 Dum  
 A  
 Augu  
 C  
 Restit  
 H  
 Ast q  
 R  
 Majo  
 C  
 Redd  
 M  
 Quo  
 Hae  
 V  
 Parc  
 Fort  
 Arm  
 Seru

THOMAS, Impensis Joh. Nicolai NORB. SENAT. & CAM. Typogr.



*Haut tamen interea, PRO-CONSVL, pectora mæror  
Leniur pungens egeriturque tuus.  
Vnicus usque Tibi manet alta mente repostus  
Natus, cordis pars altera nempe tui.  
Hinc minime mirum lacrymæ si lumina vertant  
In fluvios, virtus si resoluta cadat.  
Dum dolor, heu! nimius cunctas Tibi crescit in horas,  
Cû modus aut finis, nescio, qualis erit.  
Nec mirum, merito si defles huncce, pieque  
Mæres, ad tristes turtur ut ipse lacus.  
Dum Tua Spes cecidit citius spe scilicet omni,  
Atque Decus Patriæ dulce piumque suæ.  
Augustus Cæsar, legiones, voce præalta  
Clamavit quondam: tu Vare, redde mihi;  
Restituisse tamen poterat quas postea parvo,  
Hinc dolor ejusdem non nisi vilis erat.  
Ast quem Varioli Natum rapuere maligni,  
Restitui nullo tempore porro potest.  
Majori quare sic exclamasse profecto  
Ob damnum majus nunc Tibi jure licet:  
Reddite, Varioli, carum mihi reddite Natum,  
Ne vario pariter nempe dolore cadam.  
Quot passim, rogo vos, quot monstra sat impia prostant,  
Pondera quæ terræ suntque manentque mala?  
Hæc jugulasse foret fas, at veniam dare Nato,  
Plurima qui fuerat commoda ferre potis.  
Parce sed his lacrymis postremo, parce querelis,  
Nec tristi manes carmine læde pios.  
Fortunam, fac, rite feras, hominemque memento  
Te genitum: vinces omne ferendo malum.  
Armat spina rosas: comes est & amoris amaror,  
Hinc Tibi mors Nati <sup>κεν</sup> <sup>Γλαυκῶ-τινον</sup> eat.  
Sermo est vulgaris: mala fata silentia terrent:  
Svadendum quare, ne tua fata fleas.*

*Quid*



*Quid prodest ingens luctus, quid lacryma multa,  
Fœcundusque sui quid, rogo, porro dolor?  
Frustraris, fateor, cari dulcisque Parentis  
Nomine, dum Natum flebilis urna capit;  
Nominis interea Sobolis Natique suavis  
Haut poteris posthac immemor esse tui.  
Ingemino quare: profuso frena dolori  
Injice: mœrorem non amat ille tuum.  
Namq̄ polo vivit felici sorte receptus,  
Sors & Ei nunc est ista priore prior.  
Dum reputat vani deliria tristia mundi,  
Et quam, longa licet, vita caduca, brevis.  
Nunc quasi conqueritur: Patriæ ô pulcherrime vultus!  
O vigiles, dulces excubiæque poli!  
Cur me sepositum vidistis sede beata,  
Tamque diu sanctis exulem in hisce locis?  
Vssit me dudum multus decor hujus, in imis  
Dum vixi terris, ussit & alma TRIAS.  
Nunc placida tandem, (cœlo laus!) euge, quiete  
Nec minus æterna nunc quoque pace fruor.  
His animum paucis ope Divi NVMINIS ægrum  
Solari poteris, VIR GENEROSE, tuum.  
Præcessit tantum, simili TV lege sequeris,  
Cum veniet mortis scilicet hora Tibi.  
In terris etenim nil exoptabile restat,  
Vna, DEI, res est, plena Salutis, Amor,*

### *Epitaphium,*

*Vixi: non vivo: vivo tamen, usque beatô  
Cœlo victurus: mi PATER ALME, vale!*

••(O)••